



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCXXX. Vtrum Angeli beati crescere possint in beatitudine essentiali,
an solum in accidentaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

meditando acquirit scientiam. Si vero finis non sit in potestate eius, sed ab alio expectetur, operatio erit meritoria finis. Ei autem quod est in ultimo germino, non convenit moveri, sed mutatum esse. Vnde charitatis imperfectæ, quæ est via, est mereri: charitatis autem perfectæ non est mereri, sed potius præmio frui. Sicut & in habitibus acquisitis operatio præcedens habitum est acquisitiua habitus. Quæ vero est ex habitu iam acquisito, est operatio iam perfecta cum delectatione. Et similiter actus charitatis perfectæ non habet rationem meriti, sed magis est de perfectione præmij.

Ad secundum dicendum, quod aliquid dicitur vile dupliciter. Vno modo sicut quod est in via ad finem: & sic vile est meritum beatitudinis. Alio modo sicut pars est utilis ad totum, ut paries ad domum. Et hoc modo ministeria angelorum sunt utilia angelis beatis, in quantum sunt quædam pars beatitudinis ipsorum. Diffundere enim perfectionem habitam in alia, hoc est de ratione perfecti in quantum est perfectum.

Ad tertium dicendum, quod licet angelus beatus non sit in summo gradu beatitudinis simpliciter, est tamen in ultimo quantum ad se ipsum secundum prædestinationem diuinam. Potest tamen augeri Angelorum gaudiū de salute eorum, qui per ipsorum ministerium saluantur, secundum illud Luc. 15. Gaudium est angelis Dei super vno peccatore poenitentiam agente. Sed hoc gaudium ad præmium accidentale pertinet. Quod quidem augeri potest, usque ad diem iudicii. Vnde quidam dicunt quod quantum ad præmium accidentale, etiam mereri possunt. Sed melius est, ut dicatur, quod nullo modo aliquis beatos mereri potest, nisi sit simul viator & comprehensor ut Christus, qui solus fuit viator & comprehensor. Prædictum enim gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quam illud mereantur.

CONCLUSIO est affirmans, Circa quem aliqua inter Scholasticos controuersia est, quam sequenti disput. examinabimus.

DISPUT. CXXX.

Utrum angeli beati crescere possint in beatitudine essentiali, an solum in accidentali.

Angelos beatos in beatitudine essentiali non crescere.
cap. 1.
Quo pacto beatitudo accidentaria Angelorum crescat.
cap. 2.

ARTIC. II.

CAPVT I.

Angelos beatos in beatitudine essentiali non crescere.

Res hæc multo clarius videbatur, quam ut in controuersiam reuocari posset. Ceterum tam varium & incōstans est hominum ingenium, ut in rebus & mysterijs Theologicis vix ratiōnium Catholicorum sententia inueniatur, nisi ubi Catholica Ecclesia, quæ est magistra veritatis, decreto suo aliquid certum definierit. In prædicta igitur controuersia Magister sententiarum in 2. distinctione 1. postquam duas adduxerat sententias oppositas, tandem cap. penultimo eam probauit, quæ affirmat, angelos beatos crescere in merito, & præmio essentiali beatitudinis usque ad diem iudicii. In quam sententiam ea solum ratione adductus est, quia angeli beati saluti animarum nostrarum inuigilant, quo opere apud Deum plurimum merentur. Confirmari autem potest prædicta opinio, quia nondum ab Ecclesia videtur opposita definita: imo hæc etiam ut probabilis videtur referri ab Innocentio III. in cap. Cum Martine §. vltimo de celebratione Missarum. Cum enim illam memorasset in eo capite, nullam ei notam inuenit. Retulit autem eam his verbis: *Licet plerique reputent non indignum sanctorum gloriam, usque ad iudicium augmentari.* Quod enim quidam Theologi interpretantur, Innocentium loquutum de gloria non essentiali, sed tantum accidentaria, quam omnes facientur augeri, usque ad diem iudicii, vltra ostendimus, finem fundamentum non habere, nam si de gloria accidentaria loquamur, certum est, eam augeri usque ad diem iudicii, neque id in opinione positum est: Innocentius autem refert prædictam sententiam, tanquam opinionem aliquorum, non tanquam certam doctrinam.

Hæc sententia communiter à Theologis recipitur, & à recentioribus ut temeraria & erronea nota digna censetur: cum tamen vix afferant testimonium aliquod firmiter, & stabile, quo eorum censura niti possit. Mihi tamen occurrit illud testimonium 2. ad Corinthios 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Ex quo aperte conuincitur potest Magister: hunc enim locum omnes Patres ita exponunt, ut homo Christo rationem redditurus sit de ijs solum, quæ, dum vixit, operatus est, siue bonum illud sit, siue malum: ut propter hæc tantum opera præmium recipiat, aut supplicium illud enim, propria corporis, idem valet, quod, *dum vixit.* Quare & Græci Patres, quibus consensit Augustinus in Enchirid. cap. 110. & de prædestinatione Sanctorum cap. 12. non legunt, *propria corporis, prout gessit, sed quæ per corpus gessit.* Ergo quæ gessit homo extra corpus non iuvat à Christo iudicanda: ac proinde nec præmium, nec supplicium pro illis homo in gloria & beatitudine post hanc vitam ante diem resurrectionis, non sunt propria corporis: ergo pro illis non accipiet mercedem, nec de illis iudicabitur. Cum igitur beatorum anime in patria postulent, & orent pro salute nostræ, & militiamus propter hanc orationem non sit accepta mercedem beatitudinis essentialis, cur angelus pro custodia & vigilia, quo nostram salutem procurant, augmentum beatitudinis essentialis accipiat?

adduci potest ex illo 1. ad Corin. 6. Nescitis quoniam x. ad Cor. 6. Angelos indicabimus? cap. seq. explicabitur.

CAPVT II.

Quo pacto beatitudo accidentaria Angelorum crescat.

Concors Scholasticorum omnium, præterquam Magistri sententia est, Angelorum gloriam accidentaria crescere usque ad diem iudicii. Vocant autem gloriam, seu beatitudinem accidentariam; gaudium de quacunque alia re præter Deum, essentialem vero, visionem, & fructificationem ipsius Dei. Ita docent Sanctus Thomas, & recentiores Thomistæ in hunc articulum: Albertus 2. par. summa tractatu 4. questione 19. in questione incidenti, Bonaventura in 2. distinctione 11. articulo 2. questione 2. Gabriel. quest. 1. articulo 3. dubio 2. Ricardus articulo 2. quest. 1. ad 4. Thomas de Argentina quest. 1. art. 4. quorum sententia sic vnuerse intellecta, expressa est Luc. 15. illis verbis: Ita dico vobis gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent penitentia. Nam cum gaudium hoc incipiat in angelis ab eo solum tempore, quo peccatorem in hac vita penitet peccatui, ex quo solum tempore incipiunt angeli videre penitentiam illius, efficitur, nouis gaudijs in cælis angelos quotidie cumulari: cumque hi noui euentus penitentiae, usque ad diem tantum iudicii durare debeant; sequitur usque ad illum tantum diem similia gaudia nouiter in cælis futura. Cum vero dicitur, Quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent penitentia, cum quibus comparatur peccator, quem penitet peccasse, aut intelligendum est de illis qui suo iudicio se iustos arbitantes non agunt penitentiam, cū tamen reuera ea non minus indigeant, quam alij peccatores, contra quos videbatur Christus eo capite loqui, nempe contra Phariseos (hi enim ipsum aspersionabantur, quod cum peccatoribus manducaret, cum quibus ipsi ideo conuersari dedignabantur, quod se ipsos iustos existimarent) tunc autem particula, quam, non est comparationis, neque denotat, de vtriusque accipi gaudium in cælo magis autem de peccatoribus agentibus penitentiam: sed particula illa vim habet negantis & exceptiuae, vt denotet, penitentiam quidem peccatoris vnus ingens gaudium afferre beatis, de arrogantia vero eorum, qui sine causa se ipsos iustos arbitantur, nullum gaudium futurum beatis. Aut si de verè iustis prædictum locum interpretemur, intelligendum est Christus humano more loquutus: cum enim de penitentia peccatoris nouiter incipiat gaudium in cælo: de iustis autem non incipiat, sed iam antea fuerit, & apud homines illud reputetur maius gaudium, quod nouiter incipit de re aliqua amissa, quam quod antea capiebatur de re iam diu possessa, ideo Christus dixerit, Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, ac si diceret, maius gaudium: & particula, quam, vim habet comparationis, in sensu tamen expposito. Porro autem hoc augmentum gaudij accidentarij non futurum ultra diem iudicii manifestum est, nam cum iam nihil noui beatis euenire possit, sed omnia in eodem statu sint permansura, nihil erit, quod beatis gaudium nouiter afferre possit.

Ceterum

Galat. 6.

Hieron.

Eccl. 9.

Eccl. 24.

Ambros.

Theoph.

Hieron.

Chrysost.

5

*Augmentum
beatitudinis
accidentaria
non erit vi-
ta iudicij
dierum.*

Ceterum quamvis Scholasticis certissimum sit, beatos nouo gaudio accidentario, vsque ad diem iudicij indes cumulandos, in eam tamen sententiam non omnes eodem modo conueniunt. Nam Ricardus, & Thomas de Argentina solum docent, gaudium accidentarium in beatis crescere. Vtrum autem beati augmentum illud mereantur an non, minime definiunt. Ceteri autem in hac difficultate inter se diuisi sunt: Albertus, Bonauentura, & Gabriel, censent, beatos iudies mereri sibi primum illud accidentarium, quod nouiter quotidie accipiunt. Rationem vero, quæ pro illorum sententia afferri solet, inferius dissoluemus. At verò Sanctus Thomas, eiusque discipuli, quorum sententia mihi magis probatur, affirmant, beatos iam in beatitudine constitutos sibi non promereri nouiter augmentum illud beatitudinis, sed iam in via vna cum premio essentiali illud meruisse. Id quod hac ratione Sanctus Doctor confirmat: vt quis sibi aliquod primum accidentarium beatitudinis mereatur, obstat plurimum, ipsum esse ex omni parte comprehensibilem: quod si beatus aliquis posset sibi quicquam mereri, sicut Christus meruit sibi nominis exaltationem & gloriam corporis, oportebat, ipsum ex ea parte, qua merebatur, non esse comprehensibilem & beatum, sed adhuc viatorem, sicut fuit Christus. Cum igitur Angeli beati sint omnino comprehensibiles, nec vilo modo in via, non poterunt aliquid, etiam gaudij accidentarij, sibi promereri. Mihi tamen alia ratio facilius superest ad hoc confirmandum: nam quod necesse fuerit, Christum ex ea parte esse viatorem, qua sibi aliquid merebatur, ea solum ratione videbatur, necessarium, vt careret ea perfectione, quam suo corpori mereri debebat. Si enim eam iam habuisset, mereri eam non potuisset. Adde, quod si comprehensibilis & beatus esset secundum corpus nihil videbatur obstat, quo minus exaltationem nominis sui apud gentes bonis operibus mereretur: quod enim esset iam beatus solum videretur obesse, vt mereri sibi posse beatitudinem, quam habebat, vt latius ostendemus 3. part. quæst. 19. artic. 3. hac igitur omilla ratione, quæ non caret aliqua difficultate, alia facilius ratio est: quia gaudium illud Angelorum de animarum conuersione, est actus charitatis, vel nascitur ex actu charitatis, ac proinde potius habet rationem fructus beatitudinis, quam rationem meriti: nullus autem fructus beatitudinis meretur nouum alium fructum: alioquin esset processus in infinitum in meritis, & retributione, nec solum augmentum illud duraret vsque ad diem extremum iudicij. Dicimus igitur, beatos Angelos & homines, dum essent in via, promeruisse, sibi bonis operibus in via factis non solum beatitudinem essentialem, quæ in Dei visione & fruitione consistit, sed etiam beatitudinem accidentariam, quæ in gaudio illo posita est. Meruerunt autem in hac vita, vt sibi tale gaudium concederetur suo tempore, concessa etiam illis notitia de tali poenitentia, prout vnique ratione sui status conueniebat, iuxta ea, quæ diximus disp. 5. c. 2.

*Quare beati
non mereantur
gloriam
corporis sui.*

Ceterum quæret aliquis, quare homines beati non possint in beatitudine mereri sibi gloriam corporis, aut saltem augmentum illius: siquidem non repugnat statui beatorum, mereri corporis gloriam, quam non habent. Respondeo, gloriam

corporis simpliciter non cadere sub merito: aliquid factum in beatitudine: quia beatus in hac vita meruit sibi non solum gloriam anime, sed etiam corporis. Deinde dico, non posse beatum mereri augmentum gloriæ corporis per noua merita facta in beatitudine: quia gloria corporis propolita est, vt primum bonorum operum accidentarium & secundarium, sed iuxta mensuram & debitam proportionem cum gloria anime: quare cum illa non possit crescere per merita subsequencia, vt superius dictum est: neque gloria corporis crescere potest, nec beati augmentum illius in alia vita promereri.

Præterea contra nostram prædictam doctrinam videtur esse illud 1. ad Cor. 6. Nisi latius quæramus? Nam si in die iudicij Angeli sedentes super sedes duodecim iudicaturi sunt angelos bonos de custodia sibi animarum demandata, ipsis quoque præmia assignabunt, sicut & reliquis iustis, quorum causa eo die iudicabitur. Quod enim attinet ad beatitudinem essentialem, manifestum est angelos tunc non esse iudicandos. Cum enim illam non habuerint per Christum, sicut neque gratiam, vt probabilior opinio fert, quam 3. p. q. 8. art. 4. defendemus: sequitur, non esse à Christo iudicandos quoad gloriam essentialem. Restat igitur, vt de custodia animarum, & premio accidentario iudicentur, vt docet S. Tho. 3. p. q. 59. art. 9. ultim. Respondeo, in die iudicij angelos quoque comparituros, non vt iudicentur de custodia & cura, quam habuerunt animarum, quia nihil præmij inde habebunt: sed vt Deus ostendat iustitiam suam in cura & gubernatione spiritali animarum. An vero aliquo modo iudicantur sit angelorum vitam, & opera, quæ in via fecerunt, quoad primum substantialem, aut accidentarium, tertia parte loco citato dicemus. Hoc tamen certum sit, non fore iudicandos angelos bonos de aliquo merito, quod habuerunt post beatitudinem, etiam quoad primum accidentarium: siquidem in beatitudine iam amplius nihil, neque accidentarium sive gloriæ mereatur. Quare cum in hoc arti. 9. dicat S. Thom. angelos post beatitudinem non mereri nec primum accidentarium, quod postea 2. q. illa 59. inquit iudicium angelorum, quoad primum quodammodo accidentarium pertinere ad Christum, quatenus homo est: non debet ita intelligi, vt Christus pro custodia animarum retribuat Angelis aliquod primum, hoc enim expressè negat in hoc articulo, sed quia primum gaudij de poenitentia peccatoris quodammodo, nempe consequenter, pertinet ad Christum, cuius merito poenitentia donum confertur.

Ceterum locus ille, 1. ad Corinthios 6. non de iudicio ultimo, in quo viui, & mortui iudicandi sunt à Christo, & iustis, sed vt exponantur Græci, aliter intelligendus est, ibi enim iudicantur angelos à nobis, nihil aliud est, vt exponunt Gentiles deos, quam demones, qui prius boni angeli fuerunt, vel qui angeli sunt per naturam, per nostram bonam vitam conuincunt & redargunt. Congruit autem hic sensus instituto Pauli, in eo loco. Contendit enim Corinthiis ostendere, peccata ipsos causas suas & iudicia ad Gentiles deferre, cum essent inter illos multi Christiani, qui id multo commodius facere possent. Arguuntur autem hoc modo: Nisi iuxta quæramus? Angeli

iudicabimus; quanto magis secularia: ac si dicat, si Christianorum vita in carne mortali sufficiens erit, ut conuincant & redarguant in iudicio (hoc enim significat ibi iudicare) malos angelos, qui per naturam angeli sunt, & spirituales quisque etiam Christianus sufficiens erit, ut lites & contentionem inter nos exortas componat. Subinde vero dignitatem Christianorum ad hoc munus commendans, subiungit. *Secularia igitur negotia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum: ad reuerentiam vestram dico: si non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum* quasi dicat, si opus fuerit, & contentiones de rebus secularibus habueritis, nec inter vos inueniatur aliquis valde sapiens, constituite infimum & abiectum Christianum potius, quam infidelem ad iudicandum: satis enim est apud Christianum minus sapientem, quam apud sapientissimum infidelem causas dicere. Hoc autem dixi, ut vos pudefaciam, quod hactenus causas ad infideles iudices detuleritis, sed nunquid inter vos non inuenitur etiam sapiens, sicut inter infideles, ut iudex constitutatur? quasi dicat inuenietur sane. Obiter autem obseruandum est, hic Paulum nolle usurpari à Christianis infidelium iurisdictionem, nec enim Christianus à tali iurisdictione eximitur per baptismum, quod attinet ad causas civiles & seculares, sed loquitur de iudicijs arbitrarijs, quæ sunt per iudices consensu litigantium electos: nam ad Rom. 13. & 1. Petri 2. iubet, ut obediamus Regibus, & principibus, etiam Ethnicis, & eis tributa persoluamus.

QVÆSTIO LXIII.

De Angelorum malitia quoad culpam.

Deinde considerandum est, quomodo angeli facti sunt mali. Et primo quantum ad malum culpæ. Secundo, quantum ad malum pœnæ.

Circa primum quaruntur nouem.

ARTICVLVS I.

Virum malum culpæ possit esse in Angelis.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod malum culpæ in angelis esse non possit. Quia malum culpæ non potest esse in his, quæ sunt in potentia, ut dicitur in 9. Metaph. Subiectum enim priuationis est ens in potentia. Sed angeli cum sint formæ substantes, non habent esse in potentia. Ergo in eis non potest esse malum culpæ.

2. Præterea. Angeli sunt digniores, quam corpora cœlestia. Sed in corporibus cœlestibus non potest esse malum, & Philosophi dicunt. Ergo neque in Angelis.

3. Præterea. Id quod est naturale semper inest. Sed naturale est angelis quod moueantur motu dilectionis in Deum. Ergo hoc ab eis remoueri non potest. Sed diligendo Deum non peccant. Ergo angeli peccare non possunt.

4. Præterea. Appetitus non est nisi boni vel apparentis boni. Sed in angelis non potest esse apparens bonum, quod non sit verum bonum. Quia in eis vel omnino error esse non potest, vel saltem non potest præcedere culpam. Ergo angeli non possunt appetere, nisi id, quod est vere bonum. Sed nullus appetendo id quod est vere bonum, peccat. Ergo angelus appetendo non peccat.

Sed contra est, quod dicitur Iob. 4. in angelis suis reperit prauitatem.

Respondeo dicendum, quod tam angelus, quam quaecunque creatura rationalis si in sua natura consideretur, potest peccare. Et cuiusque creaturæ hoc conuenit, ut peccare non possit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex conditione naturæ. Cuius ratio est, quia peccare nihil est aliud, quam declinare à rectitudine actus, quam debet habere, siue accipiatur peccatum in naturalibus, siue in artificialibus, siue in moralibus. Solum autem illum actum à rectitudine declinare non contingit, cuius regula est ipsa virtus agentis. Si enim manus artificis esset ipsa regula incisionis, nunquam posset artifex nisi recte lignum incidere, sed si rectitudo incisionis sit ab alia regula, contingit incisionem esse rectam & non rectam. Diuina autem voluntas sola est regula sui actus, quia non ad superiorem finem ordinatur. Omnis autem voluntas cuiuslibet creaturæ, rectitudinem in suo actu non habet, nisi secundum quod regulatur à voluntate diuina, ad quam pertinet vltimus finis: sicut qualibet voluntas inferioris debet regulari secundum voluntatem superioris: ut voluntas militis secundum voluntatem ducis exercitus. Sic igitur in sola voluntate diuina peccatum esse non potest, in qualibet autem voluntate creaturæ potest esse peccatum secundum conditionem suæ naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod in angelis non est potentia ad esse naturales. Est tamen in eis potentia secundum intellectiuam partem ad hoc, quod conuertatur in hoc vel in illud. Et quantum ad hoc potest in eis esse malum.

Ad secundum dicendum, quod corpora cœlestia non habent operationem nisi naturalem. Et ideo sicut in natura eorum non potest esse corruptionis malum: ita nec in actione naturali eorum potest esse malum inordinationis. Sed supra actionem naturalem in angelis est actio liberi arbitrij, secundum quam contingit in eis esse malum.

Ad

Ad tertium dicendum quod naturale est angelo, quod conuertatur motu dilectionis in Deum, secundum quod est principium naturalis esse. Sed quod conuertatur in ipsum, secundum quod est obiectum beatitudinis supernaturalis: hoc est ex amore gratuito, à quo auerti potuit peccando.

Ad quartum dicendum quod peccatum in actu liberi arbitrii contingit esse dupliciter. Vno modo ex hoc, quod aliquod malum eligitur: sicut homo peccat eligendo adulterium, quod secundum se est malum. Et tale peccatum semper procedit ex aliqua ignorantia, vel errore. Alioquin id, quod est malum, non eligeretur vt bonum. Errat quidem adulter in particulari, eligens hanc delectationem inordinati actus quasi aliquod bonum ad nunc agendum, propter inclinationem passionis, aut habitus: etiam si vniuersali non errat, sed veram de hoc sententiam teneat. Hoc autem modo in angelo peccatum esse non potuit: quia nec in angelis sunt passionis: quibus ratio, aut intellectus ligetur. Et ex supradictis patet: nec iterum primum peccatum habitus præcedere potuit ad peccatum inclinans. Alio modo contingit peccare per liberum arbitrium, eligendo aliquid quod secundum se est bonum, sed non cum ordine debita mensura, aut regulæ: ita quod defectus inducens peccatum sit solum ex parte electionis, que non habet debitum ordinem, nisi ex parte rei electæ: sicut si aliquis eligeret, non attendens ad ordinem ab Ecclesia institutum. Et huiusmodi peccatum non præxiigit ignorantiam, sed absentiam solum considerationis eorum que considerari debet. Et hoc modo angelus peccauit conuertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonum absque ordine ad regulam diuinæ voluntatis.

CONCLUSIO est affirmans, & de fide, ut
constat ex iisdem locis, in quibus dicitur, da-
mones peccasse Ioan. 8. Ille (scilicet diabolus, ho-
micida car ab initio, & in veritate non fuit. Quem
locum fufius tractanti disp. 227. c. 3. S. Thom. probat
ex illo Iob. 4. Et in Angelis suis reperit prauitatem.
Circa quem locum multa diximus supra disp. illa
citata cap. 4.

DISPUT. CCXXXI.

An fieri possit à Deo creatura aliqua
rationalis *Ἀνάνητις*, hoc est
impeccabilis.

Deus Scholasticorum opiniones. cap. 1.

Nullam creaturam rationalem impeccabilem, & sine li-
bertate esse posse, auctoritate probatur. cap. 2.

Fundamentum rationum præcedentis sententiæ. cap. 3.

*Contra secundam sententiam opinio precedens ratione
confirmatur cap. 4.*

Contra primā sentētiā eadē opinio ratione probatur. c. 5.

Praesens controvertitur non est, an possit natura aliqua rationalis gratia Dei effici necessaria de hoc enim aliter disputandum est. Primum quidem, an potentia & libertas peccandi in Deo sit in humanitate per vnionem cum Deo substantialem tractandum erit 3. part. quest. 1. art. 4. ad 1. ubi beati virtute vtriusque clarè Dei perpetuo impediuntur, vt peccare nequeant, videmus 1. 2. q. 4. art. 4. Postremo, an possit alio modo, quam per vnionem clarè Dei, vel per vnionem libertas nostra impediri, nempe diuina praesentione, & differimus disputat. 99. cap. 8. & disp. 90. cap. ad 1. confirmamus quoque in gratia an habeatur necessitas non peccandi mortaliter, & quae ratione dicantur in gratia confirmati, dictum à nobis est disputatione illa 90. c. 2. Superest igitur solum controuersia, an creatura aliqua rationalis nullo ex praedictis modis gratiae, sed siapte natura possit à Deo creati impeccabilis, hoc est, sine libertate & potentia peccandi: in qua quidem questione varia fuisse Scholasticorum placita, ex quibus duo in hoc capite referemus, vt sequenti verorem sententiam exponamus.

Prima igitur opinio sit eorum, qui docent, posse produci creaturam rationalem, quæ sit virtutis natura impeccabilis circa materiam virtutis, & finis naturalis: non tamen circa finem & materiam virtutis supernaturalis ordinis. Ita docuit Durandus in 2. distinctione 23. questione. 1. mo arguens fortasse talis naturæ productus esse affirmat: 1. quod & ex ratione illius manifeste colligitur. In 2. distinctione 6. quæst. 1. numero 16. aperte pronuntiauerat: cuius sententiam amplectuntur Capreolus in 2. distinctione 21. quæst. vnicat. art. 1. princip. & Caietanus in hoc art. 3. Circa conuenientiam autem. Indicantque Ferrariensis 3. contra gentes cap. 109 & 110. Ratio vero Durandi, in quam conuenit Capreolus concedens quidquid ex contentis probare debet huiusmodi. Id, vnde in creatura rationali nullum peccatum, est defectus in intellectu vel erroris, vel inconsiderantiam: siue hoc autem impossibile est esse defectum in voluntate, vel ex omni sensu Scholasticorum probabimus. 2. quæst. 77. art. 2. angelus autem adeo perficiat ex intellectu, vt circa finem naturalem, & virtutem naturalem eiusdem ordinis similem defectum habere nequeat: siquidem nec errorem, nec inconsiderantiam habere potest: ergo nec circa talem materiam potest peccare. Porro autem angelum non posse pati talem defectum in intellectu circa illa obiecta, probat Durandus. Quia inter corporea gradus constituntur, ita debent consisti inter spiritualia, atqui inter corporea aliquid est, quod in sua operatione non deficit, nec deficere potest, sed iam in substantia, quam in operatione perfectum semper est, nempe cunctum, ergo in spiritualibus debet esse aliqua natura, nempe pure spiritualis, vt angelus, quæ in sua substantia, & operatione defectum pati non possit. Ceterum quamlibet creaturam & pure spiritalem circa finem suum supernaturalem, & circa virtutes illius ordinis deficere posse contra rationem demonstrat. Quia circa hæc omnia potest incedere defectus in intellectu angel. vel per errorem, vel per inconsiderantiam. Cuius enim in intellectu